

GEORGIVS SABINVS IVRE CONSVLTVS.



Georgius in Brandenburgensi marcha honestis parentibus natus, & omni genere literarum optimè educatus est. Is cum prima artium & linguarum rudimenta in patria feliciter percepisset, sese ad uarias academias cōtulit, atq; in primis Vuitebergæ magna diligentia liberalibus studijs incubuit. Itaq; factum ut magnam sibi eruditioñ compararit, atq; ob uitæ integritatem cunctis gratissimus extiterit. Vertit Georgius Isocratis orationem de concordia domi constituenda, & bello in Asiam transferendo in linguam Latinam, atq; 1531 edidit. pari ratione uaria Poémata composuit, atq; præclaram orationem in gymnasio Fräckfordensi habuit de utilitate studiorum eloquentiæ. Postea quoq; Legum studiū amplexus, omnium acclamatiōne Iuris Doctor creatus est. Cum hoc modo Sabinus pergeret, Philippus Melanchton Germaniæ ornamētum ipsum plurimūm dilexit, atq; præ multis alijs hunc suum generum asciuit. Reliqui etiam literarum cultores Georgium summa laude suas functiones obeuntem predicarunt & commendarunt. Vnde meritò hoc loco ob uarias uirtutes & præclaram eruditioñem magnis Germaniæ uiris connumeratur. Con. Lycosth.